

1722.

1. Hertnerus, Henr. Ernestus: De usuris pari gaudentiibus  
privilegio eum sorte in concurren creditorem.

1724.

1. Baschhausen, Joann. Rudolphus jur. prof. ord: Praeguar  
m<sup>9</sup>, quo ad orationem in ang. Caroli Davidis  
Wippermanni inserta.

2. Bierbingius, Fredericus Gustavus: Compectus Illustris  
rum inter S. R. I. Comites et ordinem equestrem  
immunitatem gliscentiam controversiarum  
Rec. 1725  
Recht 1725

3. Wippermann, Carolus David: De necessariis requisitis  
studiorum veritatis

1725

1. Pestel, Fredericus Moricus: Pontifical juris regii  
I. Jan. VIII expositi

1726.

1. Pestel, Frid. Moricus: De conditionibus sine causa  
fundamento et um.

1726

2. Pestel, Fridericus Ulricus: *Utrum unus testis faciat  
in hoc loco.* 2
3. Gall, Tacitus Hurricus: *De litis expensas cum refectione* 1.

1728.

1. Pestelius, Fridericus Ulricus: *Programma, quo ad Disser-  
tationem publicam Hurici Rogge invitatur.* 2.
2. Pestel, Frid. Ulricus: *De justa hereditatione  
Heterorum jure Hamburgensi.* 17

1729.

1. Fuurstenan, Jo. Hermann: *Theses medicae inaugurales.* 17
2. Pestel, Frid. Ulricus: *De cautione usufructuaria  
nec a testatore nec a giudice pauperi remitt.  
Londæ.* 2.

1731.

1. Henricus, Inoz. Engelb.: *De idololatria deothis  
nonnunquam presibus imbecille adiuncta.*

1732,

1. Pestel, Fridericus Mericus: De lege Anasteriana

1733.

1. Pestel, Fridericus Mericus: De cauta applicatione  
anionatis: inrogatione sapient naturam ejus,  
cui est inrogatum

2. Pestel, Fridericus Mericus: De usu pratico capitis  
diminutionis medicae.

1734.

1. Pestel, Frid. Mericus: De relaxatione juris jurandi  
dolo male elicti.


1735

1. Pestel, Fridericus Mericus: Benivolentia observa-  
tionum juris circa homicidium dolosum  
ejusdemque poenam.

2. Pestel, Fridericus Mericus: De legatis ex imperfectis  
testamentis relictis praestandis vel non  
praestandis.

- 1735
2. 3. Pestel, Frid. Merian: De archa contractibus  
vulgo affixi solitis.
  3. 4. Schramburg, Thom. Goups: De auctoritate veteris de  
beneficiorum vetustate. Programma, quo ad audiendam  
orationem: de Machiavellismo academico.  
1. irritat
  2. 5. Schramburg, Thom. Goups: De praesidio privati  
juri imperii ex uno juris accidendi aucto-  
rum privati in Germania perperam anetho









M. L. Hoffmann de pford n



EXERCITATIO ACADEMICA  
EXHIBENS

VSVM PRACTICVM  
CAPITIS DIMINVTIO-  
NIS MEDIAE

QVAM

IN ALMA ERNESTINA

DIVINI NVMINIS AVSPICIO

SVB PRAESIDIO

VIRI

EXCELLENTISSIMI, AMPLISSIMI, CONSVLTISSIMI  
DOMINI

FRIEDERICI VLRICI PESTEL

IVRIS VTRIVSQVE DOCTORIS ET PROFESSORIS PRIMARIJ

MORALIVM VERO ORDINARIJ

IN AVDITORIO IVRIS-CONSVLTVRVM

AD DIEM XXII. DECEMBRIS A. O. R. M DCC XXXIII

PVBlicAE ERVDITORVM CENSVRAE SVBMITTIT

AVCTOR ET RESPONDENS

HENRICVS WILHELMVS BVCH

HASSO-CASSELLANVS.

RINTELII

TYPIS IOH. GODOFREDI ENAX, ACAD. TYPOGR.

1,181 16

1379

1733, 2

*Friederici Vlrici Pestel. med. phi. pract.*



SERENISSIMO AC CELSISSIMO  
PRINCIPI ET DOMINO,

DOMINO  
GVILIELMO,

HASSIAE LANDGRAVIO, PRINCIPI HERS-  
FELDIAE, COMITI CATIMELIBOCI, DE-  
CIAE, ZIEGENHAYNAE, NIDDAE  
ET SCHAVMBVIRGI,

ETC. ETC.

*DOMINO SVO CLEMENTISSIMO*

HASCE ACADEMICORVM FRVCTVVM PRIMITIAS  
SACRAS ESSE VOLVIT, ET SE SVAQVE STV-  
DIA EA, QVA PAR EST DEVOTIONE,  
COMMENDAT ET CONSECRAT

AVCTOR.



Q. D. B. V.



icet custodia societa-

tis humanæ humano intelle-  
ctui conveniens, frustra pro-  
vero primo ac adæquato ju-  
ris naturæ principio, a Grotio  
& ad seclis venditetur: Id ta-  
men vix negari potest, Deum  
velle, ut eximium istud animans, quod hominem ap-  
pellamus, perennet, perpetuis auctibus augetur, ac  
ad æternitatis circulum perueniat. Finem hunc  
cum provida rerum natura intendat, sponte confit,  
eandem medium ad illum obtinendum vel maxime  
necessarium, intelligo conjunctionem maris & fœ-  
minæ, individuâ vitæ consuetudinem continentem,

A

non



non posse non velle, simulque præcipere, ut proles inde nata solícite satis ab utroque Parente educetur, quo idoneum generis humani membrum tandem aliquando evadat. Disceptent itaque alii occasione inscriptionis Grotiani *cap. 5. lib. 2. de Jure B. & P.* utrum patria potestas inter modos acquirendi de jure naturæ sit referenda, disquirant, quis fons quodque fundamentum ejus sit, contendant, utrum alimentorum præstatio justitiæ expletrici potius, quam attributrici sit tribuenda: Ego missis his, aliisque pulcherrimæ alioquin inspectionis quæstionibus, in præsens saltem pro certo adsumo, naturale satis esse placitum, quod Juris Civilis regulis cernimus corroboratum, onus alendi suam sobolem a momento nativitatis incipere & sine distinctione, utrum major vel minor trimo quis sit, Parenti incumbere, (a)  
 rum

(a) Hinc eleganter satis Paulus Jctus in *L. 4. ff. de agnosc. & alend. liberis* inquit: *Non solum illum partum necare videri, qui illum perfocat, sed & qui abjicit & qui alimenta denegat, & qui publicis locis misericordia causa exponit, quam ipse non habet.* Male vero ex ista lege nonnulli infantum expositionem interdictam fuisse volunt, inter quos primum locum obtinet clarissimus Bynckershœck. Paulus enim Jctus auctor hujus legis magis ad ea, quæ honestatis, quam quæ juris fuerunt, respexisse videtur. Nam si hæc mens ipsi fuisset, ului fori aperte contradixisset. Largior quidem *sec. LL. XII. Tabb.* monstrosos solummodo partus exponere licitum fuisse, attamen hæc lex tractu temporis latius a superbis Romuli nepotibus cœpit explicari, ita,



tum demum vero finiri, quando quis pubes factus, sibi suisque rebus ipse consulere potest, *conf. Grot. de J. B. & P. 2. C. 7. §. 4. L. 5. §. 1. 7. ff. d. agnosc. & al. lib. L. 9. C. de pat. potest.* Uti itaque *apud* Parenti ac marito potestatem in liberos, ac uxorem contulit Deus, (b) quatenus ad finem hujus consociationis domesticæ eadem est necessaria: Ita herilem potestatem ex instituto mere humano venire, firmiter per-

A 2

ita, ut non solum monstrosos, sed & formosæ faciei perfectosque liberos exponi permitterent. Optime ergo Paulus rationes subduxit, distinguens inter regulas & præcepta juris, quas priores foro inservire, has posteriores vero officium viri boni et sancti spectare dicit: v. Noodt in *tract. de Julio Paulo c. 8.* Temporibus demum Impp. Christianæ religioni addictorum, Valentis, Valentiniani, & Gratiani hæc nefanda, atque homini Christiano maxime detestanda infantum expositio in vetitum ivit, ita, ut iidem Imperatores in *L. 2. C. de infant expos.* illum qui infantes exponi juberet animadversione dignum non solum judicaverint, verum etiam in *L. 8. C. ad L. Corn. de Sicariis* capitalem in transgressores statuerint poenam.

(b) Unde falsa est Hobbesii illam *matri* jure belli & *captivitatatis*, Patri vero interveniente demum pacto competere statuentis, sententia. Quomodo enim ille *hostis* potest videri, qui ex propriis visceribus est profectus, atque paulo ante pars eorundem fuit? & licet velimus concedere, partum illum considerandum esse ut hostem, sane præter obstetrices nemo ultimam reportaret victoriam, adeoque & hæc jus belli in eundem exercere possent.

persuasum teneo. Cum enim homines in statu naturæ viventes a communi vivendi ratione discederent, animumque suum ad res suas augendas intenderent, factum est, ut locupletiores potentioresque ab impotentioribus, atque imprudentioribus operas pro certa mercede conducere cœperint. Postea vero cum commodum hocce illi experirentur, his ut istorum sese familiis perpetuo adjuungerent, operasque perpetuas pro alimentis reliquisque ad vitam necessariis præstarent, persuaderent *conf. Pufendorfius in J.N. & G. lib. 6. c. 3. §. 4.* Quo facto his operas, habita tamen simul ratione virium & dexteritatis injungebant, jus dicebant, actionesque horum prout familiæ status utilitasve postulabat, dirigebant, non vero jus vitæ & necis exercebant, sed si atrociora delicta commiserant ex familia expellebant. *Idem d. C.* Nec obstare videntur, quæ Hertius pro sententia contraria tuenda adfert, quod sc. tali pacto, quod inter dominum & servum intercessit, transferatur imperium in alterum, hocce vero concessio, eadem concessa esse videantur, sine quibus idem consistere nequeat. *vid. Eundem in Diss. de uno homine pluras sustinente personas Sect. 7. §. 6.* Nam Gundlingius in *J. N. & G. c. XXII. antea citato §. 6.* ad hanc objectionem optime respondit, quod ad scopum hujus societatis obtinendum *jus vitæ & necis* minime necessarium sit, cum nullum alium contractum, quam *locationem & conductionem* perpetuarum operarum pro perpetuis alimentis, cum annexa ad obsequendum obligatione contrahentes celebra-

verint;



verint; imo servum licet vellet, non posse domino  
*ius vite & necis* concedere, cum ipse illud non ha-  
 beat, adeoque multo minus id alteri dare possit.  
 Postea vero durior servorum cœpit esse conditio,  
 exortis enim bellis latrocinisque Gentis in Gentem  
 (c) victores victos ac in bello captos sibi subigere, in  
 servitutem detrudere ac qualescunque leges præ-  
 scribere cœperunt. (d) Quemadmodum enim tali  
 modo capti, atque durissimo servitutis iugo subacti  
 in statu miserissimo debebant, dum qualemcunque  
 dominorum injuriam, æquo animo ferre teneban-  
 tur, nihilque præter parendi gloriam illis relictum  
 erat; ita e contrario quædam libertate sua naturali  
 adhuc fruentes dominationem, atque vim injustam  
 alio-

- (c) Bella non tam ex jure, quam ex injuria sunt enata.  
 Licet enim injuria juri naturali sit contraria, adeoque  
 bella sint justa, atque juri naturæ consentanea, cum  
 eodem jure injuriam propulsare unicuique liceat, at-  
 tamen ex eo quod juri naturæ contrariatur, originem  
 sumunt. Neque enim mala illa omnia, quæ in lanie-  
 nis innocentium sæpe infantum, senum, scemina-  
 rumque, vastationibus populationibusque integra-  
 rum regionum, deprædationibus opimarum posses-  
 sionum obtingere solent, efficiunt, ut bella dici possint  
 mala, sed causa prima, qualis est, qui contra fas Deum  
 alterum læsit, inspicienda est, eidemque omnia hæc  
 imputanda. v. cap. 2. lib. 1. Grotii de J. B. & P.
- (d) Quem enim possum occidere illum multo magis, pos-  
 sum in servitutem detrudere, non tamen *ius vite &  
 necis* tempore triumphis adversus illum exercere vid.  
 Diss. Cocceji de J. victoria diverso a jure belli.

aliorum potentiorum vero metuentes familiæ animum huic malo obviam eundi, seque ab illorum injuria conjunctis viribus defendendi inducere, atque ne singuli in singulos ruant, sed unusquisque sub publico tutamine in quiete vivere possit, efficiendi, eumque in finem civitates condere legibusque saluberrimis, (e) easdem munire operam navarunt. Quamprimum igitur mortales talem perfectissimam, non unam familiam, sed plures, non urbem, sed totam quandam regionem complectentem societatem iniverunt, (f) salusque communis suprema lex facta est, non potuere non status diversi, indeque propullulantes varii effectus morales subnasci.

Quem-

(e) Respublica enim, seu illi qui eidem præsent, non solum armis decorati, sed & legibus armati debent esse, ut non solum in hostilibus præliis victores existant, verum etiam ut iniquitates malorum hominum repellant, §. 1. *proim. instit.* cum finis, ut nempe pacata respublica existat, aliter obtineri nequeat, quam si malis hominibus eadem purgetur *L. 3. in sine ff. de off. Pres. & L. 13. ff. eodem.*

(f) Hæc enim merito ita a Grotio in *J. B. & P. 2. C. 5. §. 23.* appellatur, quia nulla est actio hominis externa, quæ non ad hanc societatem aut per se spectet, aut ex circumstantiis spectare possit, & semper alii cives in locum præmortuorum surrogantur, adeoque sine familiis coalescere nequit, quod recte observavit illustris Thomassius, qui ea propter miseram, ac brevem ævi futuram prædicat esse rempublicam ecclesiasticam, cum cives ejusdem votum perpetuæ castitatis præstare teneantur, quamvis tamen haud raro videamus, votum illud hosce transgredi.

Quemadmodum enim substantiæ physicæ spatium quasi quoddam habent, in quo naturalem suam, quam habent existentiam ponunt; ita ad harum analogiam spatium diversum morale, in iisdem occupant, diversoque indumento utuntur, eaque propter ut personæ morales, seu homines singuli aut per vinculum morale in unum systema connexi, in republica considerandi sunt, prout ille modus habitusque iisdem impositus est. Sic unus *publica*, vel *cum Summo Imperio conjuncte*, qualis Rex est, vel *cui a Summo Imperio potestas est delegata*, qualis Magistratus est, alter vero *privatae personæ*, qualis civis, vel inquilinus, vel peregrinus est, vicem sustinet. Nonnunquam etiam fieri potest, ut unus homo plures personas simul gerere possit, sic in uno Regno Rex diversas personas sustinet, si nimirum ipse partem Summi Imperii habeat, partem vero alteram populus vel senatus, uti de mixtis constat rebus publicis. Eodem modo magistratus, habita ratione inferiorum, personæ publicæ, respectu vero superiorum, personæ privatae sunt. Hertius in *Diss. de uno homine plures sustinente personas* Sect. 2. §. 10. & 11. Quemadmodum enim ut recte inquit Pufendorfius in *J. N. & G. c. 1. §. 14.* unus homo in diversis statibus, sibi invicem non repugnatis esse potest, ita unus idemque simul plures velut personas gerere potest, modo munia quæ personas comitantur, ab eodem simul obiri queant. Nam uti naturali ratione idem non potest esse maritus & uxor, filius & filia, nec ex morali ratione dominus & servus &c. ita nihil prohibet, quo minus idem simul esse queat,  
v. gr.

v. gr. *domi paterfamilias, in curia senator, in foro ad-  
vocatus, in aula consiliarius.* Nec desunt exempla illu-  
strissima adhuc hodie, eademque ubivis obvia depre-  
henduntur. Sic videmus Imperatorem Romanum, ut  
talem, sibi ipsi tanquam Archi-Duci Austriæ manda-  
re, atque Imperatoris summa jure in se ipsum exer-  
cere. Par exemplum in eodem Imperatore obser-  
vamus, dum Legatos ad Imperatorem Turcarum  
non ut Imperator Romanus, sed tanquam Rex Hun-  
gariæ, mittere solitus est. In hisce igitur duobus ca-  
sibus Imperator Noster duplicem repræsentat per-  
sonam, priori Imperatoris & Archi-Ducis, posteriori  
vero Imperatoris & Regis, ut plura exempla taceam,  
quæ adferrem, si pagellæ hæc illa caperent, spatiumque  
sufficeret. Satis feliciter igitur, ut propius ad sco-  
pum accedam, Quirites vocabulum personæ, e com-  
mædorum lusionibus mutuati esse mihi videntur,  
qui prout actus scenaque finitur, diverso vestimento  
utuntur, sicque mox Regem, mox vilem personam  
repræsentando sibi tribuunt huic quali quali officio  
cohærentia jura. Qua etiam ratione servus apud illas  
*αἰσχροτόμος* audiebat, quia nullo habitu civili erat in-  
dutus, non caput, non familiam agnationemque ha-  
bebat, sed mortuo assimilabatur.

§. II.

Statum naturæ in præsens mitto, hæctenus enim  
prolata eum in finem præmisi, ut concinna ratione  
demonstrarem, quo modo ex statu primævo juris  
naturæ præsens civilis, tanquam adventitius,  
ori-

originem suam traxerit, sed aggedior civilem, qui prout homines considerantur, vel a natura *liberatis*, a patria, *civitatis*, a genere, *familia* audit. (g) Triplex itaque est capitis minutio seu prioris status mutatio. Licet enim Ulpiano in L. 1. §. 4. ff. de suis & legit. hered. placuerit, uti *διχοτομία*, seu bimembri divisione, in magnam & minorem eam secando, adeoque Pauli L. ult. ff. de cap. minutis obstare videatur, tamen optime Gerhard. Noodt in Comment. ad ff. tit. de cap. dimin. tomo opusc. 2. p. 121. easdem LL. conciliavit. (b)

B

§. III.

(g) Romani enim olim tribus quasi personis induebantur, quæ a præstantiori parte, nempe capite, nomen gerebant. Habebant enim *libertatem*, *civitatem* & *familiam*. Qui igitur unum horum amittebat capite minui dicebatur. A Costa in comment. ad instir. de cap. dim. §. 1.

(b) Hujus verba hic inferi merentur. *Capitis diminutio* inquit: aut magna est aut minor p. L. 1. §. 4. ff. de suis & legit. hered. Magna, cum publica amittitur libertas, sive naturalis, sive civilis. Minor, quoties familiae jus mutatur, salva publica libertate & naturali & civili. Minorem indicavit Ulpianus in L. 1. §. 8. ff. ad SCtum Tertull. & Orphic. verbis, quæ omnes libri habent. *Capitis diminutio salvo statu contingens liberis, nihil nocet ad legitimam hereditatem*. Hic plane nullus sensus adest. Cum enim omnis capitis minutio sit status mutatio, an potest ulla contingere salvo statu? non potest, quo modo igitur Ulpianus dicit, aliquam contingere salvo statu? si quid intelligo, deest Ulpiano ver-

§. III.

Ut de singulis capitis diminutionibus sollicitus sim, instituti ratio non permittit, sufficit in præsens de media differere, per quam jure civitatis amisso, in peregrinorum conditionem quis redigitur, id quod fit exilio, teste Grot. *de jur. B. & P. lib. 2. cap. 5. §. 25.* Cum vero in tempore recorder varias esse vocis peregrini significationes, non parum illas hic illustrasse juvabit. Initio civitatis Romæ illi peregrini audiebant, qui ex aliis civitatibus & regionibus in urbem Romam veniebant, quique non civium, sed incolatus jure gaudebant, adeoque & eorum certus constitutus erat Prætor, qui inter illos jus diceret, eaque propter *Prætor peregrinus* audiebat *L. 2. §. 28. ff. de O. J.* hicque parem, quidem cum Urbano habebat potestatem, non tamen cum Urbano in pari dignitate positus erat, & jus non ex peculiari, sed ex Urbano edicto dicebat. *Rosin Ant. VII. 9.* Quo sensu etiam apud

verbum, quod sic restituo: *Capitis minutio salvo statu C. contingens*, & explico *capitis minutio salvo statu CIVITATIS contingens*; nam capitis minutio salvo statu civitatis contingens, solam mutat familiam, nec est alia, quam minor, cui ab Ulpiano *in fine d. §. 3.* mox opponitur, *magna capitis diminutio, qua civitatem admittit, ut puta si deportetur.* Ea forma *in L. 2. h. r.* ipse sic ait: *Pertinet hoc edictum ad eas capitis diminutiones, qua salva civitate contingunt*, id est, quæ sunt ex genere capitis diminutionis minoris. Est igitur duplex capitis minutio *magna & minor*, ut & duplex libertas, una publica civitatis altera privata familia. Imo est triplex capitis minutio *maxima, media, minima* quarum *maxima* mutatur *natura, minore familia status.*

apud Senecam *de benef. lib. 4. c. 35.* & Ulpianum *in fragmentis: tit. 5. §. 4.* de contrahendo Romano-  
rum *cum civibus Romanis*, non vero *cum peregrinis*  
connubio, nisi id speciali Principis consensu sit per-  
missum, ea vox peregrini venit. Postquam vero  
per constitut. imperat. Antonini *in L. 17. ff. de statu*  
*hominum*, omnibus in orbe Romano degentibus jus  
civitatis fuit concessum, illi peregrini vocabantur,  
qui non oriundi ex urbe Roma seu indigenæ erant,  
sed aliunde ortum suum trahebant. Exemplum ha-  
bemus *in Cod. Theodosiano, ibidemque in L. unic. C.*  
*de equest. dignit.* ubi per Valentiniani senioris con-  
stitutionem peregrini ab ordine equestri arcentur,  
verbis: *Equites Romani (quos secundi gradus in urbe*  
*omnium obtinere volumus dignitatum)* EX INDIGENIS  
ROMANIS & CIVIBVS eligantur. Tertia vero hujus  
vocis *peregrini* appellatio, subinde in Romanis illius  
ævi, scriptoribus & constitutionibus Imperatorum  
occurrit, qua sc. quis respectu unius provinciæ, quam  
inhabitat, civis alterius civitatis aut provinciæ, pere-  
grinus autem dicitur, sicuti ex Arcadii constitut. *in*  
*l. 1. C. Th. de assessoribus patet*, cujus hæc sunt verba: *Si*  
*quis judicum vel civem provinciæ quam regit, aut certe*  
PEREGRINVM *consiliarium sibi voluerit adsciscere &c.*  
Ibi enim *peregrinus* assessor intelligitur ille, qui in alia  
provincia, quam in ea, ubi illo munere fungitur, na-  
rus est: nempe unius provinciæ civis, alterius vero  
incola. Ultima denique, & quæ hujus loci est pe-  
regrini significatio, ea censeri debet, qua ille post  
omnes in orbe Romano cives, per constitutionem

Antonini Bassiani Caracallæ, effectos, de *barbaro* intelligitur, seu is extra Romani Imperii fines ageret, & quamvis sponte vel captivitate intra eosdem sit receptus, nullo tamen Romanæ civitatis jure donatus, sive gentilis adhuc vel dedititii conditione viveret. Unde etiam post recepta promiscue inter cives Romanos & provinciales post Antoninianam constitutionem *conjugia*, sublatumque inter cives Romanos & peregrinos discrimen, vetita sunt postea horum provincialium cum *barbaris*, id est illis, qui non dum in Romanorum jura transferant, sed *gentilium*, atque dedititorum nomine adhuc veniebant, connubia, sub pœna capitali, prout nos docet *L.unic. C.Th. de nupt. gent. tom. I. p. 306.* & Spanhemius *in orbe Romano sect. 2. c. 22. pag. mibi 363. & seqq.* Visis itaque variis vocis peregrini significationibus, restat, ut pauca adhuc de exilio in genere præmoneam. Est autem hæc vox *πολυσημος* ac non deportatos solum, verum & relegatos, ac interdictos denotat, uti, *ex toto tit. de interd. releg. & deport. ejusdemque L. 5. oppido liquet.* Marcianus *in d. l. triplex* statuit exilium, aut certorum locorum interdictionem, aut latam fugam, aut insulæ vinculum, id est relegationem in insulam. Frustra hæc verba aliqua ex parte censet emendanda, a *Costa ad tit. inst. de cap. dim. §. 2. verbis, qui in insulam deportatur*, quando vult pro *aut lata fuga*, legendum esse, *ut lata fuga*, ea ex ratione, quoniam omnium locorum præter certum locum interdictionem non latam fugam, sed deportationem vel exilium vice deportationis putat esse.

Ve-



Verum enim vero, errat hac in re vir alioquin insignis eruditionis, mihi que secus sentientis Voëtii prævalere videtur, sententia; qui *in comment. ad ff. d. tit. §. 2.* latam fugam prædicat esse, si omnium locorum usu alicui interdicitur excepto certo loco, quod secundum Ulp. *in L. potest 9 ff. de interdictis & releg.* contingit, quando Præses, quem damnat ne de domo procedat, vel ut in certâ provinciæ parte moreretur, civitatem aliquam aut patriam non excedat, regionem aliquam non egrediatur vid. *L. releg. 7. §. 8. & 19. ff. eodem.*

§. IV.

Exemplum hujus confinementis satis illustre facta nobis suggerit pagina, *I Reg. 2. v. 36.* Jusserat ibidem Salomo Rex sapientissimus Simei, quondam Davidi ad Bahurim maledicentem, domum Hierosolymis sibi exstruere, nec unquam ultra torrentem Cedronem migrare, addens, se malo letho illum affecturum, sin ulterius progrediretur. Quibus vero ex rationibus hæc sanctio ab omni iniquitate liberari, ac num David ultionem filio suo Salomoni mandare potuerit, cum tamen olim sibi eadem quæ Imperatoribus, *L. unic. C. si quis Imp. maledixerit* sancientibus, federit mens, ideoque vix per alium potuerit exercere vindictam, postquam ipse in signum excelsi animi delicti veniam dederat, meum non est excutere, ideoque, ne falcem in alienam messem mittere velle videar; hocce Theologis disquirendum merito relinquo. Saltem approbo *responsum facult. jurid. Lipsi-ensis anno 1681.* exaratum, in quo hoc pœnæ genus, in-

intelligo interdictum, magis videtur reipublicæ consentaneum esse, quam ipsa relegatio, eo ipso enim reliqui cives a committendis hujusmodi delictis amaritudine pœnæ, quam talem confinatum, ut vocant, quotidie sustinere vident, absterrentur. vid. Berger *observ.* 7. pag. 53. *subjectam electis processus criminalis.*

## §. V.

Ut itaque exilium in significato latiori etiam relegationem sub se comprehendat, plerumque tamen & quasi proprie loquendo nullus alius est exul, nisi qui & deportatus, vel cui aqua & igni interdictum est. Antiquissimum enim erat Quiritium principium, neminem invitum civitatem posse amittere. Hinc Cicero *pro domo* inquit: *Hoc juris a majoribus proditum est, ut nemo civis Romanus aut libertatem, aut civitatem possit amittere, nisi ipse Auctor factus sit.* Licet itaque nemo invitus civitatis jure privari possit, attamen statim eo momento, quo quis se in aliam civitatem adscribi passus esset, illam amittebat, cum nemo duarum civitatum simul civis esse potuerit. Spanhem. *in orbe Romano sect. 1. c. 1. §. 6. p. II.* Quando igitur quenquam e civitate ejectum volebant Romani, ei aqua & igni interdcebant, quibus necessariis vitæ subsidiis ademptis, ultro exilium eligere cogebatur, ac quoniam nefas erat, talem cui aqua & igni interdictum erat, recipere, necessario se in exteram civitatem conferre tenebatur, hocque facto pristinae civitatis jura amittebat, vid.



vid. Heinecc. in antiquit. Roman. tit. de cap. diminut. per totum: Paulus id ipsum luculenter ostendit in l. 2. ff. de publicis judiciis dicens: Capitalia judicia sunt, ex quibus pœna, mors aut exilium est, hoc est aquæ & ignis interdictio, per has enim eximitur caput de civitate, nam cœtera non exilia, sed relegationes proprie dicuntur, tunc enim civitas retinetur. Quo sensu Ovidius tristium lib. 2. canit:

Quippe RELEGATUS non EXUL dicor in illo,  
Parcaque fortunæ sunt tibi verba meæ.

& trist. lib. 5.

Quippe relegati non exulis utitur in me  
Nomine.

Multiplici ergo modo *relegatio* ab *exilio* differebat, hoc enim adimebatur civitas non illa (i) bona exilium fisco addicebantur non relegatorum, nisi in sententia specialiter fuerit expressum l. 8. C. de pœnis. Cum vero temporibus Imperatoris Augusti, loco interdictionis aqua & igni frequentior (k) esset de-

(i) Quamvis enim relegati civitate expellerentur, non tamen jus civitatis amittebant l. 4. & 7. §. 3. ff. de interd. & releg. Sed saltem actu in civitate morari prohibebantur, indeque nihil obstabat, quo minus per procuratorem omnibus juribus civitatis frui possent. Carpzov. p. 4. c. 47. def. 9.

(k) Minime vero deportatio successit in locum antiquæ illius aquæ & ignis interdictionis, sed mansit potius antiqua illa aquæ & ignis interdictionis post inventam deportationem Tacit. ann. lib. 6. c. 30. quamvis non sint, qui contrarium ex l. 2. §. 1. ff. de pœn. & l. 3. ff. ad l. Jul.

deportatio, dispiciendum restat, an & qualis inter eandem ac fustigationem, quantumvis cum relegatione conjunctam, intercesserit differentia. Illa sciebat, cum quis civitate multatus nervo ac compedibus vincetus, in navem aliquam imponebatur, ac fervis publicis, qui illum in insulam aveherent, tradebatur, adeoque erat species exilii atrocissima, qui enim hoc modo condemnati erant, redigebantur ad peregrinatem, fiebant *απολιτες* L. 17. §. 1. ff. de pœnis comparabantur mortuis, l. 63. §. 10. ff. pro socio, ita, ut diem, quo ex exilio redierant, natalem dicerent. Cicer. post reditum in senat. c. 11. Illa vero, quæ juris gentium erant, in bonis postea quæsitis retinebant (1) adeoque emebant, locabant, conducebant, scœnus exercebant, similiaque negotia gerebant l. 15. ff. de interdict. & releg. & l. 22. §. 5. ff. Mandati.

Ve-

l. Jul. pecul. probatum ire studeant, sed errant, nam Imperatores hoc solummodo adjecerunt, ut exules non ubi liberet, se reciperent, sed in certa quadam insula perpetuo commorarentur. Huber. digress. lib. 1. 3. 9. pag. 195. vid. Heinecc. in antiq. Rom. tit. de cap. §. 10. in not. lit. f.

- (1) Nec obstat l. 2. c. de bon. proscr. ubi proscripti nequidem ratione bonorum, quæ post deportationem acquisiverunt, heredem habere posse dicuntur: Hoc enim ex inde fit, quoniam omnis hereditas defertur ex LL. XII. Tabb. adeoque jure positivo, beneficia juris ci vilis vero deportatis auferuntur.

Verum qui fustigatus est, licet ex causa famosa (m) & in perpetuum relegatus, adhuc substituere suis liberis in potestate retentis, iis cum effectu tutorem dare, nuptias liberorum sine suo jussu initas, nullas dicere, interdicto de exhibendis, & ducendis liberis experiri, peculium profectitium & adventitii ordinarii usum fructum sibi arrogare, similiaque patriæ potestatis jura exercere potest. Hodie præsertim sublata omni servitutis pœna *Nov. 22. c. 8.* etiam jura hæcenus recensita retinet. Schilter. *exerc. 38. §. 27. & 30.* nec bona ejus fisco applicantur, excepto crimine perduellionis *art. 124. const. crim.* quæ exceptio ut & paucæ aliæ, v. g. domus, in qua falsa moneta cusa, adeo firmat regulam in casibus non exceptis, ut Interpretes *art. 218. d. C. C.* dubitent, utrum plures novi modi confiscationum a territorii dominis excogitari possint? cujus quæstionis adfirmativam sententiam, tamen solide defendit Thomafius *de stat imper. potest. legislat. contra jus commune*, & supra laudatus

C

Kress.

(m) Sola enim fustigatio non infamat *l. 22. ff. de his qui notantur infamia*, sed causa *l. 12. ff. de decur. l. 28. §. 1. ff. de penis*. Fama quippe, seu dignitatis illasæ status, *l. 5. §. 1. de extraordin. crim. in.* Tandiu integra manet, de jure usque dum existimationis, opinionis, ac optimitiæ jactura, ex turpi præcedente facto colligi queat. vide Thomaf. *de existimat. fama ac infamia extra rempublicam* & Beyer. *ad ff. tit. de his qui not. infam.* Pari ex ratione injuste tortum ab omni infamiæ macula liberat. Stryk. *ll. M. tit. de his qui not. infam. §. 13.* In germania vero fustigatum fieri infamem, pronuntiat Kress. *ad c. c. art. 198.*

Kress, *ad d. art. 218.* Ipsam quoque connubium adhuc eisdem producit effectus <sup>(n)</sup> ut de nomine, foro ac jure mariti uxor *sec. l. 1. ff. de R. N. l. 13. c. de dignitat. & l. 9. c. de incolis* participare possit, operas œconomicas indeque profectum acquæstum vero sibi vindicare queat maritus; In dubio enim omnia bona, quæ uxor possidet, a marito profecta esse censentur, hoc enim honestius atque verius esse videtur, cum alias uxor in gravem, quod illa ex turpi quæstu sibi acquisiverit, incideret suspicionem *l. Quint. Mutius 51. ff. de donat. inter vir. & uxor. & integram Diff. Stryckii ad eandem habitam.* Quid vero fœminæ præcipue nobili ac ingenuæ, cui castitatis observatio præcipuum debitum est, *l. 5. c. ad Scrum Orphis*, magis injuriosum magisque dedecori est, quam tale quid de illa prædicari? Unde, cum fustigatio inter modos individuum vitæ consuetudinem rumpendi referri nequeat, sequitur, uxorem maritum in peregrinas oras comitari debere, hancque

fen-

- (n) Per deportationem quidem etiam olim non dissolvebatur matrimonium, *l. 5. ff. §. 1. de bon. damn. l. 13. §. 1. de donat. inter vir. & uxorem Nov. 22. c. 13.* modo tamen conjux affectum conjugalem retinuerit *l. 1. c. de repud. & d. l. 5.*, nam si hic deficiebat, iusta divortii causa erat. Conjux enim innocens scelerum alterius conjugis particeps non debet fieri, adeoque deportatus non poterat agere contra conjugem, eamque ad sequendum compellere, nam actiones sunt juris civilis, cujus incapax est deportatus, vid. Coccejus *in jure contrav. tit. de Divort. & Repud. Q. 2.*

sententiam Theologi & Jcti citati a Lauterbachio in  
*comp. jur. tit. de R. N. p. 445.* ac Schneidew. in *comment.*  
*ad instit. tit. de nuptiis n. 49.* alique, tuentur. Cum  
etiam in §. 4. *Inst. de hered. inst.* permissum sit, in infi-  
nitum scribere heredes, ita, ut civitatibus, collegiis  
licitis, Christo, sanctisque *p. l. 12. c. de hered. inst. &*  
*l. 26. pr. C. de SS. ecclesiis*, jus capiendi hereditates  
competat, nec amplius opus sit ridiculo isto SCto,  
quo diis jus trium liberorum datum, ut heredes in-  
stitui possent, nullus dubito, quin & eadem testamen-  
ti factio de relegato, simulq; fustibus cæso, prædicari  
queat, siquidem prohibitio nulla lege apparet.  
Hocque eo magis mereri mihi viderur, quo verius  
est, sic satis pauperem esse talem relegatum, simulque  
fustibus cæsum, qui nihil habet, unde se alat, vitæque  
subsidia sibi acquirat. Et licet bona ejus, si quæ ha-  
bet, hodie illi pænæ nomine non eripiantur, neque  
fisco applicentur, artamen cum ad restitutionem pro-  
cessus expensarum condemnari soleat, sæpius com-  
putatio illarum ita instituitur, ac tantum in cumulum  
crefcit, ut nihil ipsi de bonis suis reliquum sit, unde in  
aliena territoria migrare jussus viaticum sumere,  
vulneraque a crudelissimis, ac sanguinem sitientibus  
manibus carnificis inflicta sanare queat. Præterea  
etiam reipublicæ interest, ne damnum capiat, quod  
alias omnino, si fustigatus nihil, unde se aleret, cape-  
re posset, pateretur, nam iste victum & amictum non  
ex operibus licitis, quæ via ipsi præclusa, sed valde  
illicitis, ac reipublicæ noxiis, sibi quæreret, furem,  
latronemque ageret. Non solum itaque alimenta

ipfi, quod etiam inter singularia de portarum privilegia refert Stryck. *in U. M. tit. de aliment. & cibariis legatis* §. 2. (o) Sed & quaecumque aliud legatum relinqui potest, dummodo alioquin rite, id est secundum legis præscriptum, sit dispositum, ac solennitates, vel ut alias *in L. 88. §. 17. ff. de leg. 2.* vocantur, *miseræ diligentia*, sint adhibita, quæ in omni testamento pagani, ne irritum fiat, observandæ sunt. Ipsa activa testamenti factio etiam in eosdem fustigatos cadit, siquidem tantum favorem mereri visa Hieronymo, citato ab Hertio *in satira rerum, que ad jus spectant singularium* c. 13. ut & porco illam adscripserit, in allato lepide satis eleganterque istius ævi deplorandos mores, describente testamento, quod quamvis non eum in finem adducam, (p) ut jus rationemque

(o) Et merito. Nam ususfructus omni etiam minima capitis diminutione tollebat, *v. L. pen. §. 2. C. d. Usufr.* quoniam est jus personarum, quod sublata persona cui debetur principali, omnino tanquam accessorium perire debebat. Hocce vero non solum morte naturali, qua naturalia, sed & civili, qua civilia jura tolluntur, accidebat: Fiebat enim ex libero homine servus, ex cive peregrinus, ex patre familias filius familias. Alimenta vero nulla capitis diminutione auferantur, hæce enim magis in facto, quam in jure consistunt.

(p) Non abs re visum est, illud hic inferere.

M. Grunnius Corocotta Porcellus testamentum.

feci;

Quod quoniam manu mea scribere non potui, scribendum dictavi:

Magi-





cadere in bruta, mihi aliisque persuasum velim, probe gnarus, quantum intersit inter fictiones & veritates, illud tamen exinde confectarium elicere non abs re erit forte: Testamenti factionem adeo de genere permissorum esse, ut si non satis liquido appareat eandem interdictam, quisque suam justam sententiam, quid post mortem suam fieri velit, edere possit.

§. VI.

Magirus cocus dixit: veni huc everfor domi, soliverfor fugitive porcelle, ego hodie tibi vitam adimo. Corocotta Porcellus dixit: si qua feci, si qua peccavi, si qua vascula pedibus meis confregi, rogo domine Cocco, veniam peto, roganti concede. Magirus Coccus dixit: Transi puer, adfer mihi de culina cultrum, ut hunc porcellum faciam cruentum. Porcellus comprehenditur famulis, ductus sub die XVI. Kal. Lucerninas, ubi abundant cymæ. Clibanato & Piperato Consulibus; & ut vidit se moriturum esse, horæ spatium petiit, Cocum rogavit, ut testamentum facere posset. Inclamavit ad se suos parentes, ut de cibariis suis aliquid dimitteret eis; qui ait: Patri meo Verrino Lardino do lego dari glandis modios XXX. & matri meæ Veturina Scrofa do lego dari Laconicæ siliginis modios XL. & sorori meæ Quirina, in cuius votum interesse non potui, do lego dari hordei modios XXX. & de meis visceribus dabo, donabo futuroribus fetas, rixatoribus capitinas, surdis auriculas, caudicis & verbosis linguam, bubulariis intestina, ificiariis femora, mulieribus lumbulos, pueris vesicam, puellis caudam, cincedis musculos, curforibus & venatoribus talos, latronibus unguas, & nec nominando Cocco do, lego ac dimitto popam & pistillum, quæ me-

## §. VI.

Quotquot vero in contrariam eunt partes, videntur triplex jus civitatis, diversosque, quos parit effectus non satis mentis suæ acie considerasse. Schilterus indefessus Romanæ ac Germanicæ antiquitatis scrutator in *Diss. de jure peregrinorum §. 12. & seqq. quæ exstat in ejus ad ff. Exercitationibus*, illos in viam reducere poterit, dum 1) *jus civitatis in genere* dixit, quod in jure testandi, justas nuptias ineundi, ac quales quales contractus celebrandi, consistit. 2) *Jus civitatis intuitu certæ alicujus provincie*, unde census detractionis, emigrationis, ad honores, ut & ad stipendia adspirandi ratio, variis in locis dependet. (q) 3) *Jus civitatis intuitu certi alicujus municipii*,

mecum detuleram a querceto usque ad haram; liget sibi collum de reſte. Volo mihi fieri monumentum ex literis aureis scriptum: M. Grunnius Corocotta Porcellus vixit annos DCCCCXCVIII, quod si semis vixisset, mille annos impleſſet. Optimi amatores mei, vel conſimiles vitæ meæ, rogo vos, ut corpori meo bene faciatis, bene condiatis, de bonis condimentis nuclei, piperis & mellis, ut nomen meum in ſempiternum nominetur. Mei domini & conſobrini mei, qui huic meo teſtamento interſuiſtis, jubete ſignari.

Luconicus ſignavit.

Tergillus ſign.

Nuptialicus ſign.

Celrinus ſign.

Lardio ſign.

Offellicus ſign.

Cymatus ſign.

(q) De variis regionibus conſtat, quod jure indigenatus, quo omnis via peregrinis munerum ſubeundorum eſt,



cipii, quod in jure pecudes immittendi in pascua communia, ligna cadendi, vel alioquin, **Bürgerliche Nahrung zu treiben**, consistit, vulgoque ac proprie **Das Bürger-Recht** vocatur. Quæ jura certo cuidam municipio, sub quo tamen & illi comprehenduntur, qui in eadem diœcesi, seu in pagis, vel vicis ad illam pertinentibus, habitant, sunt propria, ita, ut alios ab illorum usufructu, ac quibuscunque remediis tam petitoriis, quam possessoriis se tueri queant; siquidem ea sunt juris civilis, quorum non nisi cives sunt capaces, prætereaque & hi onera legibus municipalibus imposita ferre tenentur, adeoque æquissimum est,

est, adempta, aditusque plane reclusus, gaudeant, tale jus facile ab omni iniquitate liberari posse videtur, si consideremus, nemini unquam, præter civem, temporibus Romanorum, facultatem ad honores & munera aspirandi fuisse concessam, *p. l. 3. ff. de off. pras.* Meritoque hoc præcipuum jure civitatis illis competit, cum jam dudum Principi ejusdem territorii tributa, ac onera publica exsolverint, pro Patria vigilarint, pro aris & focis dimicarint, ac qualemcunque temporum injuriam passi sint, ita, ut nihil æquius sit, quam, ut talia munera tanquam officiorum suorum justa præmia reportent, e contrario vero maxima illis inferretur injuria, si peregrini illis præferrentur, qui neque belli, neque pacis tempore se viros præstiterunt, & institutorum, legum ac morum patriorum ignari sunt. Quod si tamen ad evitanda mala, *der Ketten Freundschaft*, peregrino honores deferuntur, eo ipso simul adipiscitur jus civitatis, cum sine eo honores aut munera subire non queat, imo absurdum sit, peregrinum civi præesse.

est, ut & commodis præ aliis fruantur, hoc enim non solum civilis in l. 10. ff. de R. J. extans, sed & naturalis dicitur ratio. Secundum & tertium jus civitatis omnino tollitur, si quis perpeffus die Landes-Verweisung, cum fustigatione, sed prius non æque. Dum enim ejectus quis est ex provincia; solumque ex tali causa migrare juffus, civis ejusdem regionis & loci amplius videri nequit. Hoc enim tenor sententiæ, hoc bonæ interpretationis regulæ, omni jure postulant. Relegatus enim cum icu fustium jusjurandum de non revertendo absque venia, quod *Urphedam* vocare solent, præstare, eoque ipso omnibus antea sibi competentibus juribus municipii istius, ex quo expulsus, renunciare tenetur, accedit & hoc, quod ille, qui non in territorio est, nec de territorio esse præsumatur, adeoque privilegia & jura ejusdem sibi arrogare nequeat.

Si quis vero ulterius progredi, & contra verba manifesta, ad jus civitatis in genere ademptum provocare veller, oppido impingeret, quod judex, cujus non est de legibus, sed secundum leges judicare, per Nov. 82. c. 13. quique nec durior, nec mitior esse debet, ipsa lege scripta (\*) extra oleas vagari non potuerit.

Et

(\*) Nec obstat arg. ex l. 13. ff. de penis desumtum: Hodie licere judici, quam velit sententiam ferre, adeoque vel graviozem, vel mitiorem. Nam licet judices, quibus merum imperium competit, adeoque criminales audiunt, ad certum genus infligendæ pœnæ non sint semper adstricti, attamen magna cum animi sollicitudine,

Etalicui jus civitatis in genere adimere, ejus quippe potestas ad fines territorii est restricta, ideoque illi extra territorium jus dicenti impune non paretur, *per l. fin. ff. de jurisdic.* Prætereaque judex fines territorii sui egressus sit privatus, nullaque plane in illum gaudet jurisdictione. Facit huc Grotii adfertum in *J. B. & P. lib. 2. c. 16. §. 20.* ubi faciliorem esse interpretationem, quæ arctat, difficiliorem vero, quæ extendit, pluribus evicit. Gaudet itaque relegatus cum ictu fustium jure civitatis in genere, indeque testamenti factionem, quam apud Romanos peregrini non habebant, *l. 1. ff. ad l. Falcidiam*, sed horum bona tanquam vacantia fisco cedebant, habet, cum hodie unicuique jus civitatis, liberaque de rebus suis testandi facultas sit concessa, *per auth. omnes peregrini C. communia de success. (s)* Et si Gailius *lib. 1. de P. P. c. XIX. §. 8.* dicat: *testamentum ejus, qui capitis damnatus est, statim ac antequam supplicium ab*

D ipso

dine, vim legum investigare *per l. 17. l. 10. ff. de LL.* nec illarum rationem excedere, maxime vero eo respicere debeat, ne gravius in delicta hujusmodi animadvertant, quam de jure Romano licet *per art. 104. Const. Crimin.*

- (s) Non amplius, itaque Frieder. Imperator *in d. auth.* jus testamenti factionis restrinxit ad jus civitatis in specie, sed illud publici quasi juris fecit, ita, ut quilibet capite damnatus fustigatusque, liberam de rebus suis habeat facultatem, modo bona ipsi vel testamenti factio specialiter non sit adempta. Et si ab intestato decederent, proximi agnati, non vero fiscus, bona caperent.

*ipso sumatur, irritum esse: hoc tamen solum de jure Romano verū esse, moribus vero nostris non nisi in crimine læsæ Majestatis fractæque pacis publicæ usu venire, facile ex præpositis principiis ad intelligendum. Cum enim servitutis pœna per Nov. 22. c. 8. sit sublata, necessario omnes liberi manent, ideoque reg. l. 1. C. de SS. Ecclesiis, nihil magis liberis hominibus deberi, quam ut supremæ voluntatis, postquam jam aliud velle non possunt, liber sit stylus, liberumque quod iterum non redit arbitrium, illis merito applicari debet. Capitis enim damnati neque civitatem, neque libertatem amittunt, ita, ut si Princeps alicui pœnam capitalem remittat, nihil præter vitam donet, libertatem & civitatem enim nondum amittit, (t) adeoque etiam restitutione non opus habet, quæ tamen de jure Romano l. 6. §. pen. ff. de injust. rupto & irrito facto testam. necessaria erat. Schilter. in Exerc. ad ff. Exerc. XXXIIX. §. 28. (u) Unde omnium dissentientium,*

in-

- (t) Tota enim ratio, quæ eos jure civili prohibebat hodie cessat. Olim enim capitis damnati, maximam patiebantur capitis diminutionem, civitatem libertatemque amittebant, bona vero eorum publicabantur l. 29. ff. de pœn. l. 8. §. f. ff. qui test. facere possunt. Hodie autem nec status personæ, nec bonorum mutatur per Nov. 134. c. fin. sed bona eorum ad quosvis heredes transeunt. d. Nov. vid. Coccejus in jure controuv. tit. qui test. fac. possunt q. 4.
- (u) Non vero ea ex ratione, quasi testamenta juris naturæ essent, hæc enim tam quoad originem, quam quoad solenitates veri juris positivi sunt. Nam 1) sunt dispositio, quæ post mortem incipit, quod contra jus naturæ est,

inter quos viri alioquin splendidissimo eruditionis lumine accensi, ac haud vulgari doctrina præditi, Wesembec. *in paratit. ff. tit. de interdict. & releg.* Stryck, *in U. M. ff. tit. de cap. dim. §. 10.* Hopp. *in comment. ad instit. quibus modis jus Patr. potestatis solv.* Struv. *jurispr. Rom. Germ. lib. I. tit. 14. aphor.* 4. agmen ducunt, scrupulus elabetur, quando animum saltem advertimus, manere tamen relegatum, fustigatumque, in quodam Germaniæ angulo, atque sic participare *de l. 17. ff. de statu homin. & Auth. peregrini C. communia de success.* tenore, omnibusque juribus civitatis universalis antea numeratis frui, & saltem actualem, in hoc vel illo loco commorationem, ipsi esse interdictam. Quam parum igitur apte argumentum *ex l. 7. §. 2. de interdict. & releg. & l. 7. ff. de penis* formari queat, facile unicuique patefcet, præcipue cum quotidie effectum de causa testari videamus, nullo enim modo fustigatus jus

D 2

cæ-

est, hoc jure enim facultas disponendi morte finitur, non incipit. 2) Eo jure nemo potest disponere de rebus, quæ non amplius ipsius sunt, sed nullius fiunt. 3) Duo contraria juri naturæ occurrunt, a) quod ad juris translationem unius dispositio valeat, b) quod jus hoc incipiat post mortem. *vid. plur. Coccejus in Jure contro. tit. qui testamenta facere possunt q. 1.* 4) Alienatio non potest esse, ubi nihil transfertur vivo testatore in heredem, sed is omnia plenissimo jure retinet, donat, heredi declarato adimit *Gundling. in §. N. & G. c. 20. §. 47.* unde inter liberas gentes nullam pariunt obligationem, nec privatorum conscientiam, si imperfecta sint, obligant.

eadendi ligna ex sylva comuni sibi vindicare, nec jus  
 braxandi cerevisiam arrogare, multo maius viam  
 ad honores adspirandi, sternere potest, cum ho-  
 rum iurium per sententiam iudicis incapax, atque in-  
 dignus declaratus, eaque propter in alienas oras mi-  
 grare iussus sit. Nullus igitur dubito, quin fustiga-  
 tum huiusmodi iura contra latam sententiam, sibi ar-  
 rogare studentem, quibuscunque remediis arcenti-  
 bus iudex impediturus sit. Illis vero iuribus civita-  
 tis in genere privare eum non poterit, cum ille non  
 possit iudex videri, qui latam sententiam executioni  
 mandare non valet, *L. 8. C. de except. rei jud.* hocque  
 facto non solum iudicium elusorium redderetur,  
 verum etiam verba ventis profudisse videretur.

§. VII.

Facile interim dandum illis, qui de iniquo fusti-  
 gationis usu differuere, ac professa opera docuere,  
 non nisi magna cum animi circumspectione eadem  
 esse utendum, quamvis tamen illius usum plane non  
 esse rejiciendum arbitror, si modo in hac poena di-  
 standa *Primo* personæ qualitas respiciatur, ita, ut  
 eadem non nisi infimi generis ac obscuro loco natis  
 hominibus infligatur, siquidem illa in locum flagel-  
 lationis (\*) tanquam poenæ servilis apud Romanos  
 usi-

(\*) Differabant itaque flagella a fustibus 1) gravitate, fustes  
 enim tantum vestitis inferebantur, & sine sanguine  
 plerumque quis fustigabatur, flagella vero nudis, un-  
 de etiam *Horat. 1. Satyr. 7.* horribilis audit. 2) Fu-  
 sium admonitio corporis coercitionem continebat, fla-



usitatæ successit. Unde, si talis pœna sordidæ vitæ homini infligatur, non potest conqueri, si non eadem pœna Nobilis, qui tamen idem patravit delictum, sed pœna pecuniaria vel carceris plecteretur, habita enim ratione dignitatis, eandem cum tali plebeji ordinis homine sustinet pœnam. Nullusque dubito, quin, si nobili ac in dignitate posito homini fustigationis dictaretur pœna, hic naturalem huic civili morti prælaturus sit. *Secundo vero loco* observandum, ut talis pœna nonnisi illis, qui naturalem vel civilem mortem meruerint, infligatur, adeoque primo cognoscendum, num leges Romanæ in tale delictum ultimum supplicium, vel deportationem statuerint, hoc enim non solum LL. civiles in L. 27. §. I. & L. 28. §. 2. & 5. ff. de pœnis, statuerunt, sed & Carol. V. in constit. crim. art. 104. saluberrime sanxit, probe gnarus, præcipuum pœnarum finem in delinquentis emendatione consistere, per L. 20. ff. de pœnis, ut delinquens, qui amore virtutis bonus esse, constantemque ac perpetuam suam cuique tribuendi voluntatem servare non vult, illecebras ac dulcedinem peccandi, amaritudine pœnæ amittat. Unde quam maxime illa pœnarum genera improbanda, quæ delinquentibus omnem emendationis ansam præripiunt, ac melioris vitæ futuræ occasionem præscindunt & auferunt, prætereaque cum vera  
mo-

flagellorum vero pœna castigatio erat L. 7. ff. de pœn. 3) Fustes liberis hominibus civibusque Romanis infligebantur, flagella vero servis L. 4. §. I. ff. de incend. ruin. naufr. l. 9. §. 11. & l. 10. §. 2. ff. de Pœnis.

moralitate, ac amore erga proximum, hominem Christianum valde decente, minime vero cum summam quandam perfectionem præ se ferente juris naturalis regula: *quod tibi non vis fieri alteri ne feceris*, convenit, si tales homines delinquentes & prope inemendabiles (quod tamen raro contingere ait Grotius in *J. B. & P. lib. 2. c. 20. n. 7.*) ex republica ubi deliquerunt, adeoque jam noti & cogniti sunt, ne eidem porro noceant, expelluntur, ac in alienas oras, ubi ignoti pravitatem & aliis hominibus nocendi aviditatem melius exercere possunt, migrare jubentur. *vid. Dissertat. a Bergero sub Præsidio Excell. Bodini de iniquo fustigationis usu Haleæ 1711. habitam §. 16. & seqq.* Præcipue vero ethnicam quandam mihi sapere videtur crudelitatem, quando delinquentibus aures naresve abscinduntur, vel alioquin improbo veterum Romanorum more, (quem tamen Constantinum Christianæ religioni deditum Imperatorum in *L. 17. C. de penis* sustulisse constat) stigmatem notantur. (y) Hoc enim factum nullo modo optatum con-

---

(y) Initio civitatis Romæ temporibusque Gentilium Imperatorum certæ notæ vel stigmata fronti seu maxillæ delinquentium inurebantur, ut de delictis ab illis patris unicuique constaret. *Tholosan. Syntagm. jur. univ. lib. 31. c. 34.* ita calumniatoribus ex Lege Remmia condemnatis litera K inurebatur *Cic. pro Roscio*. Unde postea Romani quando virum honestum ac vitam cum virtute colentem hominem describere volebant, illum integræ frontis hominem dicebant, uti ex *L. 13. in fine ff. de Testibus* constat. Præcipue vero ser-

contingere poterit, metam talis inutile reipublicæ membrum factus, numellis alligatus, crudelissimas excoriatorum manus expertus, publiceque prostitutus homo. Quid viro honesto ac epitimæ studioso superest aliud, quam ut ad desperationem accendatur animus, ac vitam supplicium esse censens, mortem vero solatium, nullis parcat machinationibus per-versisque molitionibus, quib<sup>9</sup> tandem aliquando vitam ærumnosam, cum tristi tragicaque morte commutet. Nulla enim alia via ipsi incedere licet, sed undiquaque versus, quam maxime illam infrequenter deprehendit, dum omnium locorum, quæ ingreditur, incolæ ex illius facie, vitæ antea testimonium capere, ac cujus farinae sodalis sit, quasi ex pennis cognoscere satis superque possunt, indeque ad honores illum adspirare non patiuntur, sed ex Collegiis etiam opificum excludunt, imo regione seu provincia expellunt. Quam ob rem me iudice melius esset, in ergastula detrudere, vel ad operas publicas tales homines condemnare, atque sic illis omnem occasionem nocendi aliis adimere, quam illos

fervis ejusmodi stigmata, pluresque literæ, imo integra verba inurebantur, postea vero atramentum, quo causa notæ eo melius ab unicuique cognosci ac legi posset, superfundebatur, quos postea Plautus per Jo-cum *insignes literatos* vocat, v. *Besold, Thes. pract. voce Brandmahl*. Cum vero Constantino Imperatori hæc ethnica crudelitas displiceret, atque ex illa maximum tædium caperet, illam *in L. 17. C. de panis* abrogatam voluit *vid. Struyck, in U. M. ff. tit. de Furtis §. 4.*

illos truncatos regione expellere. Hinc laudandæ sunt illæ Facultates Juridicæ, quæ loco fustigationis hocce libidinosos coërcendi medium pœnæque genus surrogare solent, quando de pœna delinquentibus, imponenda consultæ respondent, uti de hac illustri Ernestina constat. Idem de Haldensi asserit Stryck. *in U. M. ff. vii. de Furtis §. 4.* simulque responsum ab eadem Facultate Juridica anno 1709. mense Septembri confectum exhibet, cujus verba hæc sunt: Und überdem es mit derselben eine solche Beschaffenheit hat, daß, wenn sie prævia relegatione, vel etiam fustigatione in ihre vorige Freyheit an andern Orten wieder kommen solte, sie ihr böses, Gottloses Leben weiter fortsetzen, und also man den finem pœnæ nicht erreichen würde; da hergegen die Inquisiren in einem Zucht-Hause viel eher auf bessere Wege gebracht, und von dem Bösen abgethan werden kan, &c. Quod ipsum Jurisprudentiæ legislatoriæ atprime consentaneum esse, GEORGIVS I. *gloriosa memoria Rex M. Britannie* sapientissima ordinatione, qua fustigationem in operas publicas commutavit, stabilivit, cujus exemplum omnes reliqui Principes Statusque Imperii ut imitando sequerentur, maxime optandum foret. Hoc ipso enim aliquis a peccando instar bestiarum abstrahitur, rerumque suarum nollens volens satagere discit, & formidine pœnæ bonus esse incipit.

§. VIII.

Neque audiendi sunt illi, qui bannum Imperii mediæ capitis deminutioni æquiparant, inter quos  
vel

vel unum nominasse sufficiat, Mollenbecium in *Divis.*  
*Juris Centur.* I. *Divis.* 28. Mediam enim capitis di-  
 minutionem passus, solam civitatem amittebat, ac  
*απολις* fiebat, libertatem vero illibatam retinebat;  
 Bannum Imperii vero quod attinet, illo non solum  
 jus civitatis in genere, cujus effectus supra §. 6. pluri-  
 bus ostendi, amittitur, verum etiam libertas, omnia-  
 que penitus jura gentium adimuntur. Si quis-  
 quam alius, id *Gaill. lib. 2. O. I. num. 24.* eleganter his  
 docet verbis: *Perspicuum est bannitos nostri tempo-*  
*ris ex constitut. Pacis publicæ non solum deportatis,*  
*quibus aqua & igni interdicitur, rite comparari posse,*  
*sed & eos deteriore loco esse, maximamque capitis di-*  
*minutionem pati, cum non solum civitatem Romanam,*  
*quæ est communis Patria totius orbis, ut deportati, sed*  
*& omnia humanitatis jura officiorumque vicissitudi-*  
*nes & commercia amittant, sint extra protectionem,*  
*clientelam & fidem Imperii, & pro hostibus, transfugis*  
*ac rebellibus habeantur, quos nemo urbe, domo, hospi-*  
*tio, mensaque recipere potest, quibus tellus pontusque*  
*negatur.* Ex quo loco abunde satis liquet, omnes  
 istos laudatos interpretes juris, & quotquot cum illis  
 easdem inflant tibias, non satis subduxisse rationes,  
 quando bannum Imperii vel Archi-Ducis Auftriæ,  
 quod hujus singulare admodum privilegium est, pa-  
 ri passu cum media capitis diminutione ambulare,  
 autumant. Minime vero me movent, quæ Schilte-  
 rns eandem cum Mollenbecio fovens sententiam,  
 nostræ, quam vis ratione suffultæ opinioni, objicere  
 conatur, quando inquit: *Jus Civitatis universalis*  
E  
amit-

*amittitur banno Imperii, quod dubio caret. Sed banni hujus majorem esse effectum, quam deportationis & maxime capitis diminutioni comparandum, ut Gailio visum, quem Ge. Schultz sequitur, ratio non admittit, cum bannitus pro peregrino & hoste declaratur, non pro servo, statu servitutis inter Christianas Respublicas abrogato. vid. eundem in Exerc. ad ff. Exerc. III. §. 10. Verum enim vero non fatis ingenii sui aciem, qua Vir clarissimus fuit præditus, hic adhibuisse videtur, nam alias facili negotio cognoscere potuisset, quo infirmo hæcce sententia nitatur fundamento, si modo animum ad veteres Romanorum servos advertisset, illorumque conditionem cum hodiernis nostris proscriptis Imperii rite comparasset, siquidē servorum, temporibus veterum Romanorum, non una eademque fuit conditio. v. g. damnati in metallum, servique publici facti, non aliter, nisi ob atrox delictum, Magistratus auctoritate, causaque prius cognita, interfici poterant. Et licet Romani initio civitatis Romæ nimis severe cum servis suis agerent, in illosque per ludum & jocum sævirent, ita, ut nullo alio modo, hi illorum crudelitati se subtrahere, atque ex manibus illorum aufugere possent, quam si ad aras Deūm vel Statuam Principis se reciperent, sibi que deprecatores pararent; Attamen hæcce potestas non diu penes Dominos permanfit, sed Reipublicæ cœpit interessē, ne quis re sua abuteretur, per §. 2. *Inst. de his qui sui vel alieni juris sunt*, idcirco, jam tum temporibus Imperatoris AVGVSTI, Præfecto iusto bi id negotii datum est, ut in Dominos, plus iusto vitæ*



vita ac necis jus in servos extendentes, animadverteret, illorumque savitiam ac crudelitatem compe-  
sceret. Postea vero Hadrianus immanitatem Do-  
minorum in servos multis legibus inhibuit, hosque  
non, nisi causa in judiciis cognita, occidi voluit; Pro-  
ut etiam nobile de illo in *L. 2. §. fin. ff. de his sui vel a-  
lieni juris sunt*, exstat exemplum, ubi Umbriciam  
matronam quandam, quæ ancillas suas ob levissi-  
mas causas atrocissime tractaverat, in quinquennium  
relegasse dicitur. Nec segniore fuerunt huncce in se-  
quentes Imperatores inferendis legibus, quibus Do-  
minorum potestatem in servos, hactenus severe ex-  
ercitam, restringerent, efficerentque, ut horum for-  
tunæ meliori in loco essent, sicque demum D. Pius  
Dominis in servorum vitam non plus potestatis con-  
cessit, quam in alienos, atque illos, qui servos suos in-  
juste occiderant, ordinaria *L. Corneliæ* pœna plecti  
voluit per *l. 1. §. 2. & l. 2. ff. de his qui sui vel alieni juris  
sunt*. Cujus vestigia pressit CONSTANTINVS M. Imp.  
iussitque illos, qui servos destinato consilio, ultimo  
affecerant supplicio, ordinariam homicidii pœnam  
subire, per *l. unic. C. de Emend. Serv.* Heinecc in *An-  
tiq. Rom. tit. de his qui sui vel alieni juris sunt per to-  
tum*. Hostis Imperii vero qui declaratus est, præter  
calamitatem, quam servi eo tempore ferre debebant,  
adhuc plura mala pati tenetur, dum omnia humani-  
tatis jura ipsi denegantur, bona illi eripiuntur, terra  
ipsi interdicitur, ac subditi, si Princeps est, ab homa-  
gio illi præstito liberantur, ita, ut illum non solum  
quilibet possit interficere, verum etiam omnes ad

vim impune illi inferendam, ac quibuscunque remediis vitæ, ac bonis ipsius insidias struendas invitentur. Imo & liberi ejusdem, quamvis infantes, bonis ac paterna hereditate privantur, nec delictum a patre commissum in ejus persona intermoritur nec extinguitur, sed ad liberos extenditur, *per tit. 24. Aur. Bull. CAROL. IV. (z)* Uniuersique igitur facile patefcet, hostem declaratum adhuc multo deterioris conditionis esse, quam seruum, qui, prout in ante allatis pluribus de monstravi, nullo modo pro lubitu poterat occidi, atque sic Schilteri supra citato loco allatam rationem, quam pro stabilienda sua sententia adduxit, minime adæquatam necrite positam, adeoque nostram sententiam veriore esse constat.

Con-

- (z) Licet enim pœnæ non egrediantur personam, sed suos auctores tenere debeant *per l. 26. ff. de Pœnis*, nec quisquam plecti debeat ex alterius delicto, nec pater filii, nec filius patris culpam luat *Deus. 24. v. 16.* præcipue, cum pœnæ in emendationem delinquentis sint constitutæ, quæ mortuo eo, cui infliguntur desinit *L. 20. ff. de Pœnis*, attamen cum olim deportati una, cum juribus civitatis, etiam bona reliquaque jura amitterent, multo magis hoc in bannitis obtinere debet, cum plus quam maximam capitis diminutionem contineat. Imo si rem recte consideramus, nulla ipsis infligitur pœna, sed tantum calamitas est, quod bona ipsis eripiantur, sunt enim Patris, quorum ademtione rediguntur ad non ens, cujus nulla sunt affectiones. Ex torres vero fiunt idcirco, ne mortis paternæ vindices existant: Si ergo ostracismus Græcorum licitus fuit, vel hic licebit Principi denegare jus civitatis illi, de quo male sperat.





Consideranti præterea effectus supra recensitos, qui ex media capitis diminutione fluunt, cum illis, qui banno cohærent, & ex comparatione sumentis consilium, facile ad intelligendum erit, quantum distent æra lupinis, & quod mortem civilem & naturalem inferat, die *Aberacht* (aa) licet formula und übergeben ihn dem Teuffel, jam dudum usu desierit, sed saltem hæc verba occurrant: und erlauben jedermann an seinem unglückseligen Leib zu verfrevelen, sicuti proscriptio recentissima Maximiliani Emanuelis, Electoris Bavarix, quam habet Stryck. in *U. M. ff. tit. ad L. Juliam de vi publica*, abunde docet. Ipsi Magdeburgenses, ut alios prætervehar silentio, dum proscripti (bb) anno 1549, vix ullus civium pedem porta efferre ausus fuit, quia CAROL. V. omnes ad vim illis impune faciendam invitaverat. Perizonius in *Historia seculi XVI. pag. m. 399*. Sed deportatio saltem

pere-

(aa) Bannum enim duplex est, vel simplex, *Reichsacht*, vel iteratum, *Aberacht*, *O. C. p. 3. tit. 43. §. 1. & 2.* quibus unicuique jus datur impune offendendi banniti corpus & bona *O. C. P. 3. tit. 49. §. 1.*

(bb) Hi contra omne jus & æquitatem a CAROL. V. erant proscripti. Inierant saltem *scædus Smalcaldicum*, & nolabant acceptare *Ratisbonense* illud, uti tum temporis nominabatur, *Interim*. Quapropter etiam edita Apologia causam suam egerunt, sed frustra, cum anno hunc insequenti executio MAVRITIO, Saxonix Duci, fuerit mandata, hic vero eosdem, postquam se ipsi dederant, non ut hostes, sed amicos habuit, proscriptionis enim iniquitas illum non latebat.

peregrinitatis involvit statum. Sane si bannum Imperii nil nisi media capitis diminutio comitaretur, nullus dubitarem asserere, quin Banniti a Statibus Imperii ejusdem cum proscriptis ab Imperio conditionis essent, cum & illi mediam videantur capitis diminutionem pati, illorumque Bannum eosdem effectus sortiatur, quos Imperatoris & Imperii, quoniam & illorum banno proscripti jura civitatis certæ cujusdam Provinciæ, ac Municipii, amittunt, adeoque nullum plane privilegium esset Archi-Ducis Austriæ, quod ab illo proscripti nullibi locorum in Regno Romano-Germanico possint recipi, ille vero Archi-Dux ab Imperio proscriptos in suo Archi-Ducatu possit tolerare. Quemadmodum igitur hocce singulare quoddam privilegium est, ita etiam ex eo sequitur bannum Imperii majores effectus sortiri, quam mediam capitis diminutionem, bannumque provinciale cum illo comparari non posse. Quapropter valde hallucinatum esse arbitror Meierum in *Coll. Arg. tit. de testam. §. 7.* qui banno provinciali affectos, ejusdem cum proscriptis ab Imperio conditionis esse asserit, sicque argumentatur: *quia Status jus deportandi habent, ideoque deportati ab his, in toto Imperio deportati habebuntur.* Recte vero hunc refutavit, Schilterus in *Exercit. suis ad ff. Exercit. XXXIIX. §. 21.* Nam licet Status Imperii Romano-Germ. jus deportandi & banno afficiendi habeant, per *Recess. Imp. Wormat. de anno 1521. §. Wir wollen, aber zc. & O. C. p. 2. tit. 10. §.* Und soll auch zc. attamen ex inde non sequitur, quod banno provinciali



ciali proscripti, in toto Imperio pro talib<sup>9</sup> reputentur, & æque ablueret a scopo, ac si dicerem, Principes ac Status Imperii possunt Cancellarios, Duces Exercitus, seu uti vocantur, Generales, creare, Legatos primi Ordinis mittere, & quæ reliqua, ergo etiam jus Nobilitandi, Comites Palatinos creandi, ac Academiæ confirmandi ipsis competit, hæc enim reservata Imperatoris esse, neminem Juris publici studiosum latebit. Minime igitur Meier. *de l. fn. ff. de jurisdictione* cogitasse videtur, nam alias tantos effectus banno provinciali non attribuisset. Probat præterea id ipsum Gaill. *in lib. de P. P. lib. I. cap. 6. §. 15. ubi hantitos a civitate aut Statu Imperii*, inquit: *perdere jura alia statutaria, sive provincialia, sed non jura communia.* Imo, ut hoc unum addam, si banno Imperii saltem caput civile amitteretur, nulla ulteriori disquisitione indigeret vexataque lite, utrum Camera Imperialis sine Electorum Statuumque consensu, quemquam illa notare queat, (cc) qua de re conf.  
*art.*

(cc) Non loquor de mediatis imperii civibus, vel etiam singulis Nobilibus immediatis, quippe quos fractæ pacis publicæ reos sola imperialis camera, Cæsare banno notare potest, ceu recentissima Francofurtanæ ac Hamburgensis urbis exempla comprobant; sed de ipsis Statibus dissero, ac ex forma imperii mixta, antiqua observantia, & LL. imperii fundamentalibus concludo, eosdem constatus jure Principum fruentes, non nisi gentis germanicæ in concilio judicari, ac proscribi posse. Certe istis temporibus, in quibus  
Cæsa-

art. 20. capit. Carol. VI. ac mediet. ad capit. Josephi art. 27. lit. F. Vix enim augusto illi summoque Imperii Judicio tale quid, quo caput civile amittitur, possit denegari, cum enim huic illustri judicio omnis jurisdictionis in civilibus competat, illa etiam sine quibus ista exerceri non potest, concessa esse videntur *per l. 2. ff. de Jurisdictione*, sicuti & olim bannum contumaciae decernere potuit, quæ tamen potestas in eodem articulo sublata est, cujus verba hæc occurrunt: **So viel das bannum contumaciae anlanget, wollen wir selbistes, als ein aus vielen considerationen unzulässiges Mittel gar abthun, und es auch bey denen civilibus coercendi und compellendi mediis bewenden lassen.**

## §. IX.

Cæsaris imperium augustius erat, ac *παυβασιλειαν* sapiebat, idem non est ausus, hæc sibi soli vindicare potestatem, sed potius CAROLVS M. in conventu Procerum demum condemnavit Thassilonem. Sic Henricus Superbus Dux Bavaricæ a Conrado III. in comitiis Herbipoli & Goslaricæ habitis, Ducatibus suis privatus, bannoq; Imperii proscriptus. v. Reusner. *in Genealog. in stemmate Ducum Brunsvicens.* fol. 407. hujusque filius Henricus Leo, a Friderico I. Imp. anno 1180. postquam in comitiis Wormatiens. Magdeburgicis ac Goslaricis, citatus non comparuerat, proscribebatur &c. vid. Carpzov. *de Lege Regia German.* C. 9. Sect. 9. n. 15. & seqq. Quæ vero Caroli V. & Ferdinandi II. extant facta contraria, potius merum abusum, scdamque scviendi licentiam præ se ferunt, quam potestatis Cæsareæ plenitudinem.



## §. IX.

Invitaret materia, ut sub incudem vocarem opinionem illorum, qui *ex l. 5. §. 1. ff. de Cap. Minutis & Appiano de Bellis Civilibus lib. 1. & 2.* cogere volunt, hos, quos Senatus hostes judicaverat, saltem mediam subiisse capitis diminutionem; Sed cum jam §. 8. mala illa omnia, quæ hostis declaratus ferre teneatur, satis ostenderit, ulteriori disquisitione superferre possum. Interim tamen addo, nisi verbis ludere velimus, illud perperam asseri. Pomponius enim *Jctus in l. 118. ff. de V. S.* hostes definivit, *qui nobis aut quibus nos bellum publice decernimus, cæteri latrones aut prædones sunt.* Et Ulpianus *in l. 24. ff. de Captivis & postliminio reversis, Hostes sunt,* inquit; *quibus bellum Populus Romanus decernit, vel ipsi Populo Romano, cæteri latrunculi vel prædones appellantur, & ideo qui a latronibus captus est, servus latronum est, nec postliminio illi necessarium.* Cum vero privatus non habeat rem publicam, ærarium, consensum ac concordiam Civium, & rationem, si res ita tulerit pacis & fœderis, uti Cicero loquitur *Philipp. IV.* nec jus belli in ipsum cadit, sed si refractarius esse, & statum præsentem reipublicæ labefactare gestit, saltem mixti & meri Imperii effectus contra illum decernendi, ac iisdem ad regulam officiumque boni civis redigendus est. Improperie autem *Hostis peregrinum* denotat, nec est inusitatum bina hæc vocabula synonyma esse, uti ex LL. XII. Tab. constat, ubi traditur: *adversus hostes æterna auctoritas esto*, quæ verba nihil aliud volunt, quam quod peregrinis nulla currat

F

præ-



præscriptio, sed potius Cives a quocunque extraneo bona sibi vindicare queant, cum præscriptio sit modus domini acquirendi Juris Civilis, adeoque proprius Civium Romanorum. Solent nonnulli adhuc hodie improbum illum naufragorum bona vindicandi morem, ex hoc principio defendere, atque ad jus maritimum referre, quasi peregrini quicunque essent hostes. Licet igitur hæcce etymologia recte se habeat, sc. bona naufragorum esse hostilia, seu peregrina, cum aliunde veniant, attamen nullo modo ex inde sequitur, illa ad jus maritimum trahenda, & a fisco vindicanda esse. Nullum enim plane jus habet fiscus privatorum bonis inhianti, quorum derelictum dominium nequidem præsumendum est, cum non raro res in oceanum dejectæ, inde fluctibus expulsæ emergant, *arg. §. 47. J. de R. D.* præcipue, si rota navis ad litus expulsa. Neque audiendus est Gundling. *in J. N. & G. c. XXII. §. 29.* qui ea propter bona naufragorum fisco addicit, ne domini ob difficultatem persequendi probandique dominium inanibus litibus involvantur, cum melius sit carere re sua bona fide, quam tempus perdere & consumere temere, unde etiam non adeo sævam huic juri intuitu subditorum, scribendam esse dicam autumat. Sed rectius hoc jus tam ratione subjectorum, quam externorum, improbatur. Nam si hæc ratio sufficiens esset, nullus dubitarem asserere: Fiscum in omni lite rem litigiosam partibus posse præripere, est enim lis instar aleæ, ac satis dubii eventus, ita, ut nescire queamus, cui judex rem adjudicaturus sit.

Et



Et quamvis jus certum sit, secundum quod iudici  
 pronuntiandum est, attamen vel imperitia, vel ani-  
 mus ejusdem partibus infectus, illud admodum in-  
 certum reddit. *conf. Boileau Ep. 2. pag. m. 254. & ora-*  
*culi Delphici effatum ratione tripodis aurei. Mini-*  
*me vero ad rem pertinent, quæ Beyer in Jure Ger-*  
*man. 2. C. 6. §. 7. adfert, dum comparationem quan-*  
*dam cum hoc jure & actione quadrupedaria urget,*  
*& uti in hac actione culpa domini animalis præcedat,*  
*ita etiam culpæ navigantium tribuendum esse cen-*  
*set, quod merces e navi ejecerint, vel cum eadem in*  
*loca pervenerint, quæ tamen prohibita esse sciverunt.*  
 Ipse enim sibi non constat laudatus Beyer dum *in*  
*pos. 9. omnem culpam denegat, & in lit. B addit, sibi*  
*imputare illum debere, quod se in periculum conje-*  
*cerit, concurrente enim culpa domini animalis, non*  
*actio quadrupedaria, sed Legis Aquilæ locum habet.*  
*L. I. §. 4. ff. Si quadrupes pauperiem fec. dic. Præ-*  
*tereaque non culpæ naufragorum, sed tempestuosius*  
*vasti Oceani undis tribuendum est, quod talem cala-*  
*mitatem naufragi passi fuerint. Unde non satis lau-*  
*danda constitutio Antonini Imper. in l. 12. ff. de Incend.*  
*ruin. & naufrag. & Constantini in l. I. C. de Naufragiis,*  
 qua rem pristino domino restitui, non vero fiscum  
 quicquam juris in alterius calamitate habere, neque  
 compendium ex eadem capere, voluere. Idem sanxit  
*Frider. Imp. in Auth. Navigia C. de Furtis, jussitque*  
 navigia quocunque locorum pervenerint, si quo ca-  
 su rupta fuerint, vel alias ad terram pervenerint, tam  
 ipsa navigia, quam navigantium bona illis integra  
 F 2 resti-

restitui, ad quos spectabant, antequam navigia hujusmodi periculum incurrissent. Cui & Jus Can. ad stipulatur in c. 3. X. de Raptoribus, quod vult illos, qui damnata cupiditate bona naufragorum spoliant, excommunicari, nisi ablata restituant. Denique CAROL. V. in Constit. Crim. art. penult. hoc jus inter consuetudines irrationabiles retulit, illudque plane abrogavit.

§. X.

Neque etiam Vinnii in Commentar. ad Inst. tit. de cap. diminut. aliorumque placet opinio, qui in ergastula detruos, huc hodie referendos esse memoriæ produnt. Utut enim eos infames esse facile largiar, cum nemo, nisi ex causa famosa condemnatus, in illa detrudi soleat, magnas etiam ab iis concoquendas esse molestias, uti condemnati in metallum olim fuere experti, concedam, servosque pœnæ *videri*, non eam inficias, tamen vel maximæ capitis diminutioni eadem adscribi debet, vel huc plane referri nequit. Imo & Græneweg. ad l. 3. C. de Pœnis & Carol. I. sent. §. fin. q. 10. n. 15. similitudinem cum maxima capitis diminutione urgentibus, occentarem, omne simile est dissimile, siquidem servitus in genere est sublata, ac Reip. interest, illam magis ingenuis hominibus quam servis frequentari L. 3. C. de Bonis libert. unde hodierni nostri homines proprii, Gottes Hausleute, Calsäten, Wildfänge, Eigenbehörige, Fiscalini servi, glebæ adscripti addictique homines, gens de main morte, quocumq; demû nomine veniant, ac cujuscunque conditionis sint, manent liberi quoad personam, bo-



bonis licet affectis, nec excluduntur a communione juris Civilis, quod de servis asseri nequit, *l. 32. ff. de R. J.* Omnes etiam contractus valide, & quidem cum ipsis Dominis, celebrare illis permittitur, *Stam. de Serv. Pers. lib. 3. c. 17.* simulatque testamenta de omnibus bonis ad prædium non pertinentibus facere, sibi que per operas suas, quatenus Dominis fundi nihil decedit, acquirere, *Mev. P. 2. Decis. 89. n. 6. Stam. d. l.* imo, quod maximum est, dominos suos convenire possunt. *Stryck. in U. M. ff. de Statu Hom. §. 8.* Quid? quod præsertim ipse Justinianus in *Nov. 22. c. 8.* supra jam allegata servitutem poenæ sustulit, cur ergo in horum persona superesset? Neque etiam ab infamia petitum argumentum concludit, nam alioquin quotquot *ἀπίστος* vel *ἐπίστος* notavit Prætor, eandem capitis diminutionem subire deberent, quod statuere velle, varia absurda pareret effecta.

§. XI.

Ex his positis principiis cogo consecrarium sequens: nullum apud Germanos mediæ capitis diminutionis usum superesse, adeoque frustra desudare illos, qui hoc jus peregrinum obtorto quasi collo gestiunt ad statum nostrum applicare. *Ex constit. Max. I. de anno 1495.* quidem facile liquet, valere Jus Romanum, ut jus scriptum, unde declarari, restringi, ac extendi debent jura provincialia singula, dum regulæ bonæ interpretationis ex materiis, origine & loco conjunctis, petitæ, talem postulant interpretationem, & hoc jure omnino nos uti, ipsa res ac dissentientium facta loquuntur, dum docendo, commentando,

tando, disputando, respondendo, decidendo, ad hoc jus provocant, imo usum hodiernū sæpe numero crepantes, verum fontem Juris Romani ac Germanici haud raro ignorant, & ut saltem quid obgannire posse videantur, verba talia urgent, modum ac terminum eorum nescientes cum ignarissimis. Verum in præfenti non vereor asserere, LL. istas Romanas hac in re non esse receptas, vel sane desuetudine inumbratas, adeoque hisce paucis exponere lubuit differentiam utriusque Juris Romani ac Germanici, circa hanc materiam de cap. diminutione media. Quam methodum tradendi jura vix vituperabunt illi, qui empiricam ac formu'ariam a solida norunt distinguere jurisprudentia, quantumque interfit inter triduanum Jctum, ac perfunctorie in LL. cognitione versatum, & inter illum, qui principia vel immota naturalia, vel adsumta arbitraria civilia, cum principiatis ac conclusionibus connectere, sicque ex comparatione capere consilium studet, ac satagit.

### ADDITIONES.

**D**e J. N. si certatur, non dantur arma illicita. 2. Inditiones Belli sunt necessaria eodem jure. 3. Non dantur Regna patri-  
 monialia, 4. Primogenitura jus, uti satis naturale est, ita denegari nequit filio illi, qui ante regiam dignitatem est natus, 5. Usucapio temporaria est inventum civile, præscriptio immemorialis vero, naturale. 6. Utrum Ludovicus XII. Rex Gallie devicta Reipublice Januensis credita jure ultima victoria sibi acquisiverit, problema esto? 7. Cavillatio Caroli V. qua circumvenit Philippum Magnanimum Hæssie Landgravium, nullo modo excusari potest.

8. *Vix conjugium Henrici 2. Imp. ac Cunigunda poterit adpellari virgineum.* 9. *Cameralis iudicium nequidem in possessore summariissimo super feudis regalibus cognoscere potest.* 10. *Aliquando nefandum est dogma, cuius est regio, ejus religio.* 11. *Ob ingratum animum, vel etiam metum crescentis potentie vicini, bellum ducerni nequit.* 12. *Vasalli meri Italia, in regno Longobardico degentes, a solo Imperatore ex capite felonie puniri possunt.* 13. *Datur bellum in amicos.* 14. *Vicariis Imperii non competit jus primarium precum.* 15. *Status Imperii non possunt derogare Imperii Recensibus, quos semel receperunt.* 16. *Bannerherr jus banni, seu iudicii, exercuit, ministerialis non aequae.* 17. *Jus consuecendi capitulationes solis Electoribus non competit.* 18. *Non ex Caroli Crastii, sed ex Conradi Salici constitutione fluxit Archi-officialium origo.* 19. *Possessio non est species juris in re.* 20. *Scutum Macedoniae num habet locum etiamsi filius familias pecuniam habeat salvam.* 21. *Frustrapartus ex concubina natus testamentum Patris, in quo praeteritus, impugnat.* 22. *Libellus actionis articulatus in causis civilibus abrogatus in R. Imp. est.* 23. *Processus inquisitorius ipso jure Rom. fuit cognitus.* 24. *In causa mutui similibusque debitis, ubi quis denuo quid prestare tenetur, non magis hodie doctrina J. Can. de b. fide in praescriptione necessaria applicari potest, quam in praescribendis delictis.* 25. *Jurisdictio academica exerceri in omnibus Studiosis a Magistratu Academico potest, in quocunque etiam orbis angulo latitenti.* 26. *Licet in Jure Publici ac Privati materis Jure Canon. cultura sit perquam J. Civ. necessaria, male tamen adseritur illud magis quam Jus Civ. esse receptum in tritura forensi.* 27. *Qui Jus Canon. nescit, vix Protestantium jus ecclesiasticum adplicare poterit.* 28. *Ultimam voluntatem in qua pia causa aliquid relinquitur, non immerito ex Cap. XI. X. de testament. colligitur subsistere, licet nulli testes subscripserint tabulas.* 29. *Procurator cum libera nec de J. Can. differt a procuratore generali omnium bonorum.* 30. *Nec C. redintegranda 3. C. 3. q. 1. nec cap. 18. X. de restit. spoliar. contra tertium male fidei possessorem habet locum.* 31. *Textus 2. feud. 45. est in Germania receptus.*

G

Wer

\* \* \*

**S**er das gesteckte Ziel bald zu erreichen dencket,  
Der übt bey Zeiten sich in dem geraden  
Lauff,  
Er meidet allen Weg, der sich zur Seiten lencket;  
Das Kleinod steckt beyhm Ziel, so sieht er nur darauf.  
Das läßt du, werther Freund, an dir sehr rühmlich  
spüren,  
Den Lauff, den dein Begriff der Rechte hier ge-  
than,  
Sucht dein besonderer Fleiß in Hinteln fortzuführen,  
Und zeigt, was Ruhm-Begier in edlen Seelen kan.  
Dein Mund und Feder giebt der Welt frey zu erken-  
nen,  
Solch Lauffen richte sich im ersten Jahr wohl ein,  
Drum wird, weil dergestalt der Anfang gut genommen,  
Das Mittel besser noch, der Schluß am besten  
kommen.

Cassel, den 30.  
Nov. 1733.


Mit diesem Wenigen wolte dem Hn. RE-  
SPONDENTI, als seinem vertrau-  
testen Freunde schuldigst gratuliren

JOHANNES DANIEL WOLFART,  
Reg. Regii Hasso-Cass. Adv. &  
Proc. Ordin.

PER-



PEREXIMIO ET DOCTO  
DISSERTATIONIS AVCTORI.



Fœcundum sane est scriptorum corpus utrumque  
Ut nullum ingenium noscere cuncta queat  
Maximus inde labor pervolvere leges:  
Ante labor, post hunc gloria parta venit.  
Gratulor antlati Tibi præmia digna laboris,  
Quæ scriptis debent. Vive valeque diu

L. M. Q. S.

CHRISTOPH. LVDOV. DE REDEN,  
OPPONENS.

*Ascendis Cathedram merito nunc dulcis amice!  
Neve Minerva negat jungere se comitem  
Iustitie o Cultor! Te gloria nunc comitetur,  
Te fortuna potens perpetuo foveat,  
Artibus atque Tuis Deus omnipotens benedicat  
Artem quo obtineas, quæ caret interitu.*

His paucis Nobil. ac Doctiff. Dn. RE-  
SPONDENTI memoriam sui  
commendare voluit

F. H. ZOLL, OPPONENS.

Diffi-

*Difficiles salebras legum dum pandis & equi,  
Ingenii vires prodis, amice, Tui  
Quo pede si pergas, Tibi mox tradentur honores  
Qui fructus studii, quique laboris erunt.*

Hisce cognato suo suavissimo ex ani-  
mo gratulatur

H. WILH. BOPPO, OPPONENS.


ERRATA:

Pag. 4. lin. 23. pro Sect. 7. lege Sect. 2. Eadem p. lin. 24. pro  
c. XXII. lege XXXII. p. 5. l. 5. pro latrocinisque lege latro-  
ciniisque. p. 8. l. 6. pro jure lege jura. Eadem p. l. 22. pro il-  
las lege illos. p. 15. l. 4. pro exlium lege exilium. p. 16. l. 9.  
pro peregrinatem lege peregrinitatem. p. 17. l. 18. post ver-  
ba sententiam deleatur comma. p. 30. l. 18. pro Imperatorum  
lege Imperatorem. p. 31. in not. lit. 7 pro unicuique lege  
unoquoque. p. 32. l. 6. pro Haldensi lege Halensi.

Cetera errata b. Lector ipse corriget.









Rinteln, Diss., 1722-35


X 241 87 69

ULB Halle

005 305 004

3







*1733, 2*  
*1, 181*  
*16*  
*1379*  
*1733, 2*  
*1, 181*  
*16*  
*1379*

EXERCITATIO ACADEMICA  
EXHIBENS  
**VSVM PRACTICVM  
CAPITIS DIMINVTIO-  
NIS MEDIAE**

QVAM  
IN ALMA ERNESTINA  
DIVINI NVMINIS AVSPICIO  
*SVB PRAESIDIO*  
VIRI  
EXCELLENTISSIMI, AMPLISSIMI, CONSVLTISSIMI  
DOMINI

**FRIEDERICI VLRICI PESTEL**  
IVRIS VTRIVSQVE DOCTORIS ET PROFESSORIS PRIMARIJ  
MORALIVM VERO ORDINARIJ  
IN AVDITORIO IVRIS-CONSVLTORVM  
AD DIEM XXII. DECEMBERIS A. O. R. M DCC XXXIII  
PVBLICAE ERVDITORVM CENSVRAE SVBMITTIT  
*AVCTOR ET RESPONDENS*  
**HENRICVS WILHELMVS BVCH**  
HASSO-CASELLANVS.

*RINTELII*  
TYPIS IOH. GODOFREDI ENAX, ACAD. TYPOGR.

